



*Ad d. d. d. d.*

**AD**  
**AUDIENDAS EXERCITATIONES**  
**DISCIPULORUM NOSTRORUM,**  
**INFRA NOMINATORUM,**  
**IN AUDITORIO MAJORI,**  
**DIE CRASTINO,**  
**HORA MATUTINA NONA,**  
**INSTITUENDAS,**

**VENERANDOS DNN. INSPECTORES,**  
**PATRONOS, FAUTORES ATQVE AMICOS**

**NOSTROS,**  
**LITERIS PRÆSENTIBUS,**  
**OFFICIOSE INVITAT**

**M. GEORGIUS ANDREAS Dinkhofs/ Rector.**

~~-----~~

**CIGNEÆ,**  
**LITERIS FRIDERICIANIS.**

*Ch. 80.*

*Handwritten notes at the bottom of the page, including a list of numbers and names.*



Obias Magirus, quondam Professor Francofurtanus, cognomina doctissimorum virorum in librum congestit: in quo laudanda diligentia ea elogia recenset, quæ vel ab omnibus eruditis, vel à quibusdam, vel ab uno alterove de nonnullis usurpata invenit, vel etiam, quæ merito aliquibus assignari potuissent. (a) Ego autem istud institutum majori quodam selectu tractandum duco; neque illa elogia, quæ Aristarchi censura aut jam imposuit, aut imponere certe debuisset, cognomentorum rationem induere existimo. Etenim cognominum, sive, ut Græci loquuntur, Eponymon vim cum ipsis nominibus permutari posse, (quæ permutatio iudicio literatorum per se minime convenit) quotidiana docet experientia. Qualia nomina, per virtutem comparata, vetus Roma duobus Scipionibus Africanis, Metello Macedonico, Mummio Achaico, Bruto Gallæo, Manlio Torquato, Valerio Corvino, aliisque pluribus vindicavit: & posteriora tempora quam plurimis vindicarunt. Ex quibus sequentia hic nominasse sufficiat.

R. *Abraham Bar Rabbi Meir ben Esra* dicitur à Judæis *Aben Esra*; quo nomine ad illum lapidem respiciunt, cujus mentio fit in sacris, (b) & אבן עזרא i.e. lapis auxilii nuncupatur. Eoque indicant, quemadmodum iste lapis divini auxilii monumentum esse debebat perpetuum, quod suo populo dextra Dei Altissimi succurrisset: Sic *Aben Esra* hunc Judæum, insignem Theologum & Philosophum, in populo suo tanquam lapidem auxiliarem extitisse, ad firmandam divinarum, pariter & humanarum rerum sapientiam. Has enim duas scientias, in universa Biblia commentari conatus, maxime suæ genti illustrasse perhibetur: ob eamque causam & nomen אבן עזרא h. e. Sapientis excellenti prædicatione ei adhæsit. (c)

*Antonius Andrea*, natione Arragonius, apud suos *Dulcisius* est cognominatus. Scorum aliquando audivit, & in quatuor libros sententiarum Lombardi commentationes instituit, (d) Non cum vulgo eruditorum sibi credidit negotium dari: primæ cæcæ doctores evolvit, in eis que interpretandis defudavit. Et sicut Scotus sæpe *σύντρος*, i.e. tenebræ: sic ex istis tenebris sibi lucem accendit *Andreas*, Scorumque jugi industria æmulari studuit: unde expositionem istius in Meraphysicam cum summariis & notis *Cavelli*, sed falso, eidem tribuerunt. (e)

*Anselmus*, Laudunensis, cognomen meruit *Scholastici*. Quod nomen non hominem in schola docentem; sed in scripturis interpretandis solertem atque idoneum notat; quia nemo literarum expertus, ut tum recte credebant, interpretari aliorum sermones aut commentationes valeret. Hic est ille *Anselmus*, cujus industria glossam interlinearem, quam vocant, in totam Scripturam sacram debemus: quod opus è scriptis Patrum collegit, & cum Glossa ordinaria *Walafri* Strabi, *Fulden* Monachi, & expositione *Lirani* conjunxit, (f) *Strabus* enim, vel *Strabo*, ab oculorum vitio sic appellatus, postea *Decanus* ad *S. Gallum* in *Helvetiis*, & tandem *Abbas Augiæ* divitis in diecesi *Constantiensi*, primus è dictis Patrum Glossam dictam comportavit (g) Meruitque *Anselmus* laudem *Scholastici*, quod, *Sixto Senensi* teste, ingenio pressus, laconicæ cujusdam brevitatis imitator, novo & inusitato explanationis modo, utriusque Testamenti libros, ex brevissimis quibusdam Patrum annotatiunculis, exposuerit; quas minutissimis characteribus descriptas, inter ipsas scripturas majoribus literis exaratas non minus curiosa, quam utili industria, artificiosissime coaptaverit, eumque laborem ad differentiam Glossæ *Strabensis*, quæ marginibus sacrorum codicum describi solet, Glossam interlinearem appellaverit. (h) Reperi ego aliquoties in citato opere nunc similitudinem, nunc rationem, nunc exemplum, nunc explanationem non contemnendam; licet ea Glossa ad seculi nostri perfectionem nentiquam accedat.

*Tycho*

a) In Eponymologio Critico. b) 1. Sam, 7, 12. c) Buxtorff. d. Abbeviat. Hebr. p. 34. sub VN. d) Bellarm. d. scriptor. Eccles. an. 1317. e) Labb. Dissert. Hist. in Bellarm. d. script. Eccles. tom. 1. p. 561. f) Bellarm. l. c. ar. 1077. g) Quensted. d. Patriis Illustr. p. 213. h) Biblioth. sanct.

*Tycho de Brabe, seu Brabeus, Eques Danus, princeps Astronomorum, nostri seculi Atlas, Astronomie solertissimus instaurator.* Non digrediar in laudes viri, procul dubio mea laude majoris. Ipsa Mathesis, si posset fari, in cœtu omnium doctorum tanti viri ingenium & merita extolleret. Ducena aureorum millia in ea, quæ ipsemet subtilissime excogitaverat, instrumenta mathematica infumissile fertur. Loquitur adhuc Dania, & gloriatur de Tychone suo, eumque inter filios suos genuinos primum ponit. Et in Hyena, Hellepontici Danici insula, Uranopolis, ejus monumentum ære perennius visitur; qua in arce speculationibus cœli intentus Braheus, nova subinde & inaudita in stellarum campo observavit. Neque animus à discendi cupiditate in medio somno quievit, quin interdum nocte concubia evigilans, lectum suum, ita fabricatum, ut loris annexis trahi, subitoque subter cœlum rapi posset, liberiori exposuit aëri: ut ex commodius tot siderum choros, & totius horizontis ignes noctu lucentes contempleretur. Ne autem ob servorum inopiam in contemplationibus suis tardaretur, aluit aliquos in domo sua, quibus singulis certa tintinnabula dicitur, eo consilio, ut, pulso tintinnabulo e. g. Perri, Petrus statim adesset, Dominoque suppetias ferret. Quam sobrie vero in universa mundi compage philosophatus est, ejusque moderamine: quod sacram sequens auroritatem, solem moveri, terram stare, non minus asseruit, quam justis rationibus probavit. An vero divinare potuerit Tycho, alii examinent. Hoc constanter narrant rerum gestarum scriptores, eum genus mortis sibi ipsi prædixisse. Cum enim identidem aqua se extinetum iri diceretur: aliquid ad mensam Cæsaris, Rudolphi II, assidens, urinæ mittendæ verecundia præpeditus obiit. Lege plura in vita ejus diligentissime per scripta. (i) O fortunatum cœli spectatorem! sed o fortunatissimum, qui ex hac immensa rerum universitate, & corporibus cœlestibus, tot vestigiis potentia divina, verum Deum agnovit, atque, à cœlo oculorum ad cœlum mentis ascendens, tandem in beatorum cœlum evolavit.

*Helius Eobanus, Bockendorffo-Hessus, passim hodie Nasu Germania audit, idque vere: quippe qui præter Theocriti Bucolica, & Homeri Iliada, rampumque Helonæ, judiciumque Paridis, cantus Davidicos elegiaco carmine, non rudi profecto Minerva, reddidit, suaque facilitate Ovidianam indolem præ se tulit.* Neque mores omnino à Nasonis discrepaverunt, licet torvo & bellatorio vultu, ut inquit Historicus, plurimis se offerret. Nam ut in retrico vultu Socratis Gratia habitabat, animo externæ formæ defectum supplente: ita Hessus noster placidum animum moresque humanos in fronte caperata occultavit; re vero & verbis nunquam non exeruit, Narrationem Eobani solerter texuit Joach. Camerarius. (k)

*Guilielmus (à loco) de Ockam ingeniorum lima vocatus est, ob incredibiles subtilitates, quibus abundabat, cum attenderet animum. Ut acerrimi iudicii homo; ita novitatis amans.* Dictus ex eadem causa & *Nominalium Pater.* Postquam enim disputatio illa famosa de Universalibus Logicorum mota erat, essentne illa in rebus, an in puris nominibus ponenda; qui quæ prior accederent sententiæ, Reales; qui posteriori, Nominales dici cœperant: Ockamus inter posteriores esse maluit. (l)

*Hilarius, Pictavium in Gallia Aquitania Episcopus, pater pauperum cluet, vir eruditione & sanctitate illustris. Quam strenue contra Pelagianos cum Augustino & Prospero bellator, tam mitis & beneficus in pauperes largitor.* (m) *Qua in voce omnes virtutes Christiano dignè consilere videntur.*

Rab. Salomon Jarchi, vel, ut Judæorum doctores, retentis tantum primis literis, loqui & scribere amant, רש"י, Raschi, quamvis stilo conciso, confrecto atque subobscuro sæpenumero uteretur, ac proinde quidam extiterint, qui in eum elucidationes scripsere: nihil secius ob legis interpretationem, qua in arte excellere putabatur, sapientibus post eum natis נא"ל וְעוֹזֵר מוֹחֵל רַש"י פֶּרְשׁ חַדָּשׁ Parschandata, h. e. פֶּרְשׁ חַדָּשׁ, interpres legis singulari æstimatione notatus est. Imo & *caput ISRAELIS* eum appellavere. (n) Hujus

i) Gallend. in vita Tychonis. l. 6. Annal. p. 383.

m) Sixtus l. c. l. 44.

k) in peculiari Narratione. l) Aventinus. n) Baitorff. d. Abbrev. Hebr. p. 195. C.

FA  
Ha  
782

x2966321

jus commentarii in Scripturam Bibliis ipsis solent adjungi, qui, ut a scæteris dignoscantur, in fronte paginarum tres literas רש"י, cum פ"א in certamen venientes, præscriptas gerunt. (o) Tantum valet autoritas ex amica pervasione quæ sita, spesque ex amore suorum elicitæ: utpote quæ etiam lunarem doctorem (qualis hic Jarchi ab Hebræo יררר luna) pro sole venerari non dubitavit.

Petrus, cognomento *Venerabilis*, Arvernus, genere nobilis, Mauricii & Raigardæ filius, præcipue Conradi III, ætate & primis Frederici Barbarossæ temporibus, ob eruditionem & sanctimoniam, magni nominis fuit: quædotes eximie ei cognomen *Venerabilis* apud Gallos, perinde ut Bedæ apud Anglos, conciliarunt. Opera ejus recenset Vossius. (p) Quid hac in vita majus potest Verbi Ministro ab hominibus accidere, quam si, doctrinam ejus cum vita sancta conferentes, eum venerandum aut venerabilem vocent habeantque?

Johannes Quistorpius, cordatissimus Theologus appellatus, uberrimos studii sui fructus in inçlyto Ducum Megapolitanorum Roseto consecutus est. Prorsus admirabilis in eo pro pietate sincera propaganda ardor, constantiaque insuperabilis eluxit. Unde ardentissimas ejus curas pro ovibus Domini susceptas, accedente potissimum ex doctrina solida maximeque peritia rerum autoritate, etiam exteri suspexerunt, præsentisque sermone & monitionibus frui concupiverunt. Sic Hugoni Grotio è Suecia Rosochium adventanti, sed animam jam agere viso, additit, & inter loquendum ad publicani exemplum, qui sua peccata libere confessus fuerat, ablegato, extorsit hanc responzionem: ego ille sum publicanus. Quin, cum Noster perrexisset eundem ad Christum, extra quem nulla salus esset, remittere, subjecit ille: In Christo omnis spes mea est reposita. (q) Pia ejus Desideria, in quibus vir pius è venerandæ antiquitatis usu plurima animadvertit, quæ ad suffulciendam corporis Ecclesiastici integritatem conducant, mirabundus legi, æque ac illud, Quistorpium nullam iter orthodoxos concertationem facile admisisse, nihilque magis commendasse Collegis suis, quam Apostolicæ Ecclesiæ faciem. (r)

D. Radulphus, Piætauius, cognomine *Ardens*, quod ipse in munere suo obeundo ardere judicaretur. Et enim in docendo promptus in scholis, & in declamando in templis ad populum assiduus, cum esset ingenio ardente ac plane igneo, celebrior factus, à Guilielmo Duce Aquitanorum in curiam (ut ipse loquitur) raptus, suas Homilias in Epistolas & Evangelia Dominicalia inter arma descripsit, dum interesset Principis consilii & concioni- bus. Dedit etiam dulci plerumque & facundo sermone speculum, grande opus, à se speculum Ardentis nominatum, habeturque in Bibliotheca quadam Franciscanorum, nondum typis excusum. (s) Celeb. Barthius eum ob nervosam eloquentiam & doctrinam penetrantem habuit charissimum (r) Et celeb. noster Daumius, silente quantumvis Bibliotheca Patrum, silentibus Bellarmino & Labbeo, ex Homilia Ardentis undecima & duodecima meditationes Patrum in festum Nativitatis Christi auxit, & luculentiores exhibuit. (t)

Apponere non nihil de *Socrate*, ἀνδρῶν ἀρίστων σοφιστῶν, omnium hominum sapientissimo. Sed egregie memoriam viri singularis non ita pridem renovavit Celeberrimus P. P. Christianus Fridericus Bærnerus, SS. Theol. Licentiatus, Musarum Lipsiensium delictum; ad cujus elegantie lectionem, delectationis gratia, lectorem remitto. Cæterum ne Cathedra nostra fileat, quatuor discipuli nostri,

JOHANNES ZIMMERMANN, *Netschkevicusis*, Socratis, & AMBROSIIUS HOFMANN, *Miguelensis*, Eobani Hessi, ANDREAS ERLMANN, *Cygnens*, Tychonis de Brahe, PAULUS CHRISTIANUS GILBERTUS, *Werdensis*, Joh. Quistorpii memoriam, vario narrandi artificio, auditoribus commendabunt. Mihi incubuit, institutum hoc fructuosum hisce literis iis, quorum interest, indicare. P.P. d. 22. Octobr. An. 1708.

o) Biblia Rabb. p) d. Hist. Lat. l. 2. c. 50. q) Ex Epistola Spicel. Temp Honor. refer. p. 20 21 Spicel. l. c. conf. Witt. in vit. Theol. l. 1. f) Advan. l. 55. c. 4. t) Daum. Homil. Patr. in Nativ. Christi.

me



*Ad*  
**AUDIENDAS EXERCITATIONES**  
**DISCIPULORUM NOSTRORUM,**  
 INFRA NOMINATORUM,  
**IN AUDITORIO MAJORI,**


**DIE CRASTINO,**  
**HORA MATUTINA NONA,**  
**INSTITUENDAS,**

**ANDOS DNN. INSPECTORES,**  
**ONOS, FAUTORES ATQVE AMICOS**  
**NOSTROS,**  
**LITERIS PRÆSENTIBUS,**

**OFFICIOSE INVITAT**  
**GEORGIVS ANDREAS Binhold/ Rector.**

**C I G N E E,**  
**LITERIS FRIDERICIANIS.**

*hh. 80.*



Hic in Behmen. Lipsie. Editione. 1781. p. 21.  
 Hic in Behmen. Lipsie. Editione. 1781. p. 21.  
 Hic in Behmen. Lipsie. Editione. 1781. p. 21.